

Harum avium tanta multitudo in Licia Grecie congregatur, qua accione

astruentes cum certis avibus predantibus tali conflictu se diverberant, quod rivi sanguinis defluunt.

22. [G]RUS (in mg. add.: *jerzab*) est avis ad nigredinem trahens [trahens] et tanto amplius, quanto magis senescit. Habens pedes alatos et collum erectum; ad mutacionem soni nomen habens, sub aliis dor- miens. Hee aves militari ordine dirigunt suas actes, et que preest, omne agmen prevolat. Nocte inter se excumbias ita dividunt, ut decima que-

que exsompnis sit. Si edunt, dux eorum tunc speculator, etsi quod nocivum viderit clariter.

23. [C]ICONIA (in mg. add.: *cap*) est avis rubeos et longos ha-

bens pedes, similiter rostrum rubeum, oblongum. Vescitur serpentibus et buffis. Que si presentit annum sterilem, prolem unam aut plures de nido abicit, si fertilem, tunc omnia genita sua educat. Comitgem adulterio turpatam interficit. Crepitat omne aut propter comparis adventum aut aves su- pervolantes aut propter iram aut victoriam aut aure aggravacionem futuram.

24.

[D]YOMETIDES est avis alba, habens pedes longos et ni- gros et oculos igneos, collum tamen minus extentum quam ciconia et os dentatum. Raro sola reperibilis, quia gregatim volat, quarum prima gre- 173rb gem ducit, ultima vero alias cogit ad volandum. || Hec avis, si lacrima- tur, presagiat sui aut sui regis interfeccionem.

25.

[I]BIS est avis in modum ciconie, circa ripas fluvii Nili serpentum ova depopulandus, ore parens. Hec sola docuit hominem se ipsum enemate per anum purgare per aque marine infusionem. Maris lit- tora semper deambulat, pro alimento pisces mortuos aut cadavera queri- tans, que mare eiecit. Devorat eciam ignem sine sui lesione. Cuius ova si quis comedenter, prius moritur, quam dolorem incipit sentire.

26.

[A]RDEA est avis in modum ciconie, sed coloris cineri- ctei, in aquis cibum suum queritans, sed in silvis habitans. Cui dum acci- piter infestus est, stercus super eo eicit, quem ubi tangit, deplumat et cor- pus eius putrescere facit. Mas in coyu fundit sanguinem ex oculis pro dolore. Pisces vorat in aquis. Dicitur autem ardea, aut quia anno ardet ster- cus calidum emitendo, aut quando presentit ymbres, volat in ardua, id est supra nubes, ut illic procellas evitet.

27.

[P]AVO est avis pulcherrima, medie magnitudinis, caput habens serpentinum, quamquam pennis coronatum, collum et pectus safi- rum, caudam longam et oculatam, vocem dyabolicam et incessum sim- plicem. Vescitur serpentibus et venenatis, et cum serpentes vocem eius audiunt, fugiunt et se abscondunt. Animal pomposum et superbum, ostendens se in gloria sue caude, sed cum ad pedes prospicit, humiliat se et ve- retur, et si a pennis caude spoliatur, merens querit latebras. Dum alte ascendit, pluviam predictit.

28.

[C]IGNUS est avis pennis candidis, sima, carne aut et pedibus teterima, dentes habet minutissimos et acutos in rostro et in stagno vigescere summe delectatur, super aquas nidificat. Ante mortem suam cantum Ieticie fundit ad sidera. Habet fortitudinem suam in alis, que duce fesso a tergo ponit collum avi precedenti et inde vires recipit. Post coitum tam mas, quam femina aquis se immergit pro sui purifi- cacione.

29.

[V]ULTUR est avis magna et ponderosa, que ubi ululat, illuc veraciter vaticinatur aut pestilenciam, aut stragam futuram, aut eciam actualem. Et est lucifuga et noctivaga, quia venatur sibi escam de nocte, et cum serescit, longatur rostrum eius superius, quo curvitate attingit labium eius inferius, et sic non valens cibum assumere, perit fame. Prelatiatur libenter cum herodio et eciam cum psitaco.

30.

[A]CHIRON est avis pennis subruffas, unguis cura et rostrum rappacia, volatu potens parum in terra residet, sed semper in alto. Preda vivens animatorum et maxime hinulorum et leporum, macra semper propter cibi solicitudinem, et quia preda non semper occurrit, cuius condicio est, quod capreolum, quem invadit, primum oculos effodit et post cerebrum ecerebrat et tunc primo animal vorat.

31.

[B]UBO est avis distorta, lucifuga, pigra corpore et levis, nisi quantum pennarum pregravitur pondere. Ubi extra propriam invasio- nem apparuerit, pestis ostendit presenciam. Mures venatur, ova columbe bibit et in ecclesiis oleum de lampadibus sorbet et tunc post olei epotaci- onem lampades defedat stercoribus. Dum impugnatur avibus, tunc respi- nata pedum unguibus se defendit.